

similitudo, et expositionis tempora, et pastoris confessio convenirent, nepotem agnovit. Et quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno; animum minacem duntaxat in illo fregit. Caeterum Harpago amico suo infestus, in ultionem servati nepotis, filium ejus interfecit, epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus, ad praesens tempus dissimulato dolore, odium regis in vindictae occasionem distulit. Interjecto deinde tempore, cum adolevisset Cyrus, dolore orbitatis admonitus, scribit ei: Ut ablegatus in Persas ab avo fuerit: ut occidi eum parvulum avus jusserit: ut beneficio suo servatus sit: ut regem offenderit: ut filium amiserit. Hortatur, exercitum parat, et pronam ad regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem pollicitus. Epistola, quia palam ferri nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus, exinterato lepori inseritur, lepusque in Persas Cyro ferendus, fido servo traditur: addita retia, ut sub specie venatoris dolus lateret.

SYBAREM BELLI COMITEM CYRUS NOBILI PRAEMIO DONAT,
ET ASTYAGEM REGNO SPOLIAT. (C. 6.)

Lectis ille epistolis, eadem somnio aggredi jussus est: sed praemonitus, ut quem primum postera die obvium habuisset, socium coeptis assumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus, obvium habuit servum de ergastulo cujusdam Medi, nomine Sybarem. Hujus requisita origine, ut in Persis genitum audivit, demtis compedibus assumtoque comite, Persepolim regreditur. Ibi convocato populo, jubet omnes praesto cum securibus adesse, et silvam viae circumdatam excidere. Quod cum strenue fecissent, eosdem postera die apparatus epulis invitat: deinde cum alacriores ipso convivio factos videret, rogat: Si conditio proponatur, utrius vitae sortem legant, hesterni laboris, an praesentium epularum? Praesentium, ut acclamavere